

<De dissimilitudine terminorum>  
Orléans 266 pp. 291a-293b

Boethius dicit in Hypotheticis syllogismis<sup>α</sup> quod, si medius / terminus dissimiliter enuntietur in utraque propositione, non possunt / concludi extrema nec ullus potest fieri syllogismus nec / propositio una. Triplex<sup>1</sup> ergo `de`negat, in quo, ut videtur verum / dicere, [cum] haec tria<sup>β</sup> a media propositione, in qua medius terminus di/verso modo accipitur, removeat. Nam puto quod diverso modo / medius terminus pronuntiari intelligit aliquo de illis sex / modis quos Boethius<sup>γ</sup> contra sophisticas importuni/tates determinari praecipit.

Videamus ergo primum an / medius terminus dissimiliter per equivocationem acceptus / extremorum impediatur conclusionem, ut in hoc syllogismo /

si Socrates est homo, Socrates est homo,  
et, si Socrates est homo, Socrates est corpus.

Di/co quia medius terminus aequivoce accipitur, nec tamen<sup>2</sup> / extremorum conclusi`o` pro tali acceptione praepeditur. / ‘Homo’ enim hoc nomen duas habet impositiones, ut videlicet verum / hominem pictumque significet. Quandocumque<sup>3</sup> ergo `in` propositione vel / syllogismo vocem istam ‘homo’ proposueris, propria significatione non carebit; et aliquis audiens syllogismum ex ‘homo’ et aliis vocibus compo/situm potest de ‘homo’ duplicem intellectum habere; sed hoc non debet extremorum / conclusionem rationabiliter praepedire.

Sed m. Gosl’ dicit quod non debemus / diverso modo, immo<sup>4</sup> in

---

<sup>α</sup> SH 842D9-14: Quodsi medius diversis modis in utraque propositione dicatur, nec connectuntur extrema, atque ideo ne syllogismus quidem fieri ullus potest, cum praesertim ne una quidem propositio dici possit in qua medius terminus dissimiliter enuntiat.

<sup>1</sup> Triplex] lectio incerta, Rix i.t. et s.l. add. v- ut videtur O

<sup>β</sup> haec tria, scil. non posse concludi extrema, nec ullum syllogismum fieri, et non unam propositionem fieri.

<sup>γ</sup> H 6, p. 18-20: Non autem aequivoce, et quaecumque cetera talium, determinamus contra sophisticas importunitates. *Vide etiam Boeth. inH2* pp. 132.21-134.7 *de sex modis, viz.* equivocatio, univocatio, diversa pars, diversum relatum, diversum tempus, diversus modus.

<sup>2</sup> tamen] t(antu)m O

<sup>3</sup> quandocumque] Quac(um)q(ue) O

<sup>4</sup> immo] uno *seu* imo O

uno tantum intellectu quamlibet vocem aequivocam<sup>5</sup> / +in<sup>6</sup> syllogismo+ accipere . Cui cum opponitur quod, si, quis contra hoc praeceptum med(ium)<sup>7</sup> / t(erminu)m aequivoce accipiat, non `tamen´ talis acceptio extremorum conclu/sionem impediatur, dicit per talem orationem ‘non concluduntur extre/ma’ talem intell(ectum) significari ‘non est verus totalis intel(lectus) syllogismi’, / ut, cum dicimus de aliqua consequentia ‘non sequitur’, total(is) intell(ectus) consequentiae dene/gatur.

Sed, quia de dissimilitudine loqui ex occasione huius / loci iam cepimus, dissimilitudin(um) diversitates, quae secundum / quorundam reputationes extremorum conclusionem / impedire videntur, exquiramus.

Et, quia necessitas con/sequentiae praepediri dissimilitudine<sup>8</sup> videtur, prius / de necessitate consequentiarum loquamur; et, an omnis / vera <consequentia> sit necessaria, et e converso, sicut m. Gosl<sup>9</sup> dicit et quidam / alii, seu non omnis vera sit necessaria, rimemur.

M. itaque / G., qui omnem, ut praemissum est, veram consequentiam necessariam / dicit, necessariam in absolutam necessariam et deter/minatam necessariam dividit. Necessariam autem abso/lutam illam aestimat cuius veritatem, postquam semel est inven/ta, nec varietas temporum nec permutatio rerum / alterat, ut

Socrates est homo.

Necessariam vero determinatam dicit / quam non rerum natura semper veram, immo veram aliquando <quando> / aliquis rerum eventus efficit, ut haec

si Socrates est Socrates, tunc / Socrates sedet.

Non enim ista semper est vera, nisi tunc tantum quando / Socrates sedet.

M. autem Petrus non omnem veram reputat<sup>9</sup> / esse necessariam, quia illam tantum necessariam arbitratur / cuius antecedentis sententia consequentis claudit / sententiam (*sententiam* vero idem esse quod *intellectum* dicit), / ut

si est homo, est animal.

Hanc enim propositionem ‘Socrates est homo’ tres / intellectus putat habere, id est ‘Socrates est animal’ ‘Socrates est rationalis’ / ‘Socrates est mortalis’; et sic istius propositionis intellectus, quae est ‘Socrates est

---

<sup>5</sup> aequivocam] eq(ui)uoc(um) O

<sup>6</sup> in] (et)(!) O

<sup>7</sup> medium / terminum] med / t(m) O

<sup>8</sup> dissimilitudine] dissimilimitudine(!) O

<sup>9</sup> reputat] iteputat(!) O

homo', / huius alterius, quae est 'Socrates est animal', intellectum sicut et reliquarum / duarum quas continet, dicit continere.

Sed m. / Galt(er)ius<sup>10</sup>, ut dictum est, relictis quibus in hac uti solebat / solutione circumlocutionibus, ad meliorem se / contulit sent(ent)ia<m>. Quam nos tenemus. Nos autem **l291b** illam veram consequentiam sive necessariam esse / dicimus<sup>11</sup>, cuius dividens verus esse nequit in/tellectus.

M. Vlg. et ceteri Asitiatii<sup>12</sup> illam ne/cessariam consequentiam solent dicere, cuius antecedens non potest / esse sine consequente.

Sed, qui talem sententiam / proferunt, auctoritatem requirantur an de vocibus hoc / seu de intellectibus sive de rebus intel/ligunt. Nam, si de vocibus hoc velint / intelligi, patet eos procul dubio mentiri +vel decipi+; / nec minus, si de intellectibus hoc astruat, / possunt refelli; de rebus quoque manifestum est / quod sit falsum hoc dicere

vera est haec propositio 'Socrates non est / lapis', et tamen rem antecedentis sine re consequentis / nemo dubitat posse existere, id est *Socratem* / sine *lapide*.

Sed, cum hoc modo evadere nequeunt, / sensum antecedentis sine sensu consequentis / esse non posse exponunt; s`ed`, quaerentibus quid / per sensum antecedentis velint intelligere, / rem dicunt ex *Socrate* compositam et homine. / Et tamen, si quis inferre velint quod

si res est composita, / tunc est res,  nolunt concedere. Chimaeram enim / rem compositam esse consentiunt, nec tamen eam / esse simpliciter concedunt.

Cumque et haec eorum rati/uncula respuitur, ad aliud refugium se / transferre coguntur. Illam enim consequentiam rem / necessariam affirmant, cuius sensus antece/dentis sine sensu non potest esse consequentis, si / res se exigant. [] Quibus potest responderi / quod hoc modo 'Socrates est lapis' est necessaria, quia res antece/dentis rem exigit consequentis vel e converso. / Unum enim oppositum aliud `ex`igit<sup>13</sup>, quia unius / positio remotionem alterius requirit. /

¶ Postquam de consequentiarum veritate vel / necessitate exquisivimus, restat ut de / dissimilitudinum varietate, per quam haec eadem / videtur impediri necessitas, perquiramus. /

---

<sup>10</sup> Galt(er)ius seu Galu(us) O, sed fortasse Goslinus legendum?

<sup>11</sup> dicimus] ditim(us) a.c. O

<sup>12</sup> asitiatii seu asinatii(!?) O

<sup>13</sup> exigit] egit a.c. O

Est ergo prius agendum de syllogismis ex media propositione pri/mae figurae descendantibus. Quorum si necessitas / per dissimilitudinem medii termini praepeditur, / facilius aliorum necessitas syllogismorum ex mediis / propositionibus reliquarum figurarum venientium praepedi/diri demonstratur, cum ceterarum figurarum syllogismi / omnes in primae figurae +modos+ resolvi non dubitantur.

Ex / media itaque propositione primae figurae quatuor / dicunt syllogismi procedere, duo cum ipsa media / propositio in propositionem syllogismi dividitur et assumptionem; / duo quoque alii cum tota media propositio unius / partis syllogismi, id est propositionis, obtinet<sup>14</sup> vicem. [] Sit ergo / media propositio

Si Socrates est homo, Socrates est animal,  
si Socrates est animal, Socrates / est corpus,

et ex hac faciamus syllogismum, in quo haec eadem / media propositio in propositionem et assumptionem dividatur, / ut ab utraque parte concludendo, et ab antecede/denti scilicet +et a consequenti+. Videamus quomodo duo syllogismi / exinde procreatur, sic.

Si Socrates est homo, Socrates est animal, /  
sed, si Socrates est animal, Socrates est corpus,

potest concludi vel **1292a** ab antecedenti [extremitate] ponendo, hoc modo /  
ergo, si Socrates est homo, Socrates est<sup>15</sup> corpus;  
vel a consequenti de/struendo, sic

ergo, si Socrates non est corpus, Socrates non est homo.

/ [] Quodsi tota media propositio unius partis in syllogismo, id est propositionis, / quemadmodum dictum est, +vicem+ obtineat<sup>16</sup>, duos syllogismos / similiter ex utraque parte assumendo format, / ita

si Socrates est homo, Socrates est animal,  
si Socraes est animal, Socrates est corpus. /

Assume ab antecedenti, hoc modo

sed Socrates est homo,  
ergo Socrates est / corpus;

vel a consequenti, sic

sed Socrates non est<sup>17</sup> corpus,  
ergo / Socrates non est homo.

Et ita de media propositione primae figurae / quatuor syllogismi

---

<sup>14</sup> obtinet] optin(et) *O*

<sup>15</sup> est + [s] *O*

<sup>16</sup> obtineat] optineat *O*

<sup>17</sup> est +[\*] *O*

prodeunt.

(I) In quibus secundum quosdam dissimilitudines terminorum<sup>18</sup> extremorum conclusionem impediunt, ut in hac argumentatione

( $\alpha$ ) si nulla res est, nox / non est,  
( $\beta$ ) si nox non est, dies est,  
et ita ( $\gamma$ 2) aliqua res est;  
et ita / (i) si nulla res est, aliqua res est.

In hac itaque argumentatione<sup>19</sup> negant extremorum conclusionem fieri, eo quod medium tantum, hanc scilicet propositionem ‘nox non est’, putant dissimiliter accipi. In prima enim consequentia, quae / dicit

( $\alpha$ ) si nulla res est, nox non est,  
haec categorica, ut aiunt, / ‘nox non est’ accipitur absoluta; in sequenti vero, quae est /

( $\beta$ ) si nox non est, dies est,  
accipitur haec eadem cum constantia, / hac scilicet ‘cum sit tempus’, quam vel apponi debere existimant<sup>20</sup> vel subintelligi. [] Si requirantur quae constantia / debet apponi vel intelligi, puto, non concedent quamlibet apponi posse nisi solam illam quae sit competens. / Si vero quae sit competens aliquis requiret, illam esse competentem / fatebuntur quae consequentiam verificet.

Sed sic nulla / poterit falsa consequentia reperiri, quae non possit appositae competenti consequentiae verificari.

Opponimus etiam nullam constantiam talem propositionem  
( $\beta$ ) si nox / non est, dies est  
verificare, cum constet talem contextum / vocum falsum intellectum generare.

Ex hac tamen consequentia / et illa constantia quandam fieri consequentiam non negamus, hoc modo

( $\beta'$ ) si nox non est, dies est, cum sit tempus;  
et / hanc esse veram non contradicimus. Sed ~~hanc veram~~ / illam esse  
+essentialiter quae sine constantia proferebatur, quae est

( $\beta$ ) si nox non est, dies est+,  
quae semper falsa est, non concedimus.

Quare / talibus ratiunculis<sup>21</sup>, quibus et in hac et in sequentibus

---

<sup>18</sup> terminorum, letio incerta, t()oru(m) ut videtur O

<sup>19</sup> argumentatione + [\*\*\*\*\*] O

<sup>20</sup> existimant] existimant O

<sup>21</sup> ratiunculis] r()oncl'is O

argumentatio/nibus extremorum conclusiones dissimilitudine / dicuntur impediri, repudiatis, competentiores / causas quibus eisdem sophismatibus contradici / possit assignabimus.

(II) ¶ Iterum hui<c> argumentationi, / per quam

(ii) si omne animal est homo,  
quoddam animal non est homo /

solet probari, per dissimilitudinem volunt contra/dici.

Quae argumentatio prius +ponatur+, ut dissimilitudo / secundum eos notetur.

(α) Si omne animal est homo, omnis asinus est homo, /

(β) et, si hoc est, quidam homo est asinus,

et sic (γ2) quidam homo / non est homo,

et <sic> (δ2) quoddam animal non est homo.

Hanc autem argumentationem / partim concedunt, partim contradicunt. Nam lege / complexionis negant +unam dividentem+ ex `alia´ dividente consequi; / sed lege terminorum concedunt utcumque fieri.

[] Com/plexionaliter autem dicunt `aliquid<sup>22</sup>` consequi quod in omnibus convenit / terminis, ut cum dicimus genus sequi ad speciem, ut si Socrates / est homo, Socrates est animal.

[] Lege terminorum consequi aliquid arbi/trantur, quod non ex rerum natura reperitur, ut

si, quia est homo, est risibile, /  
et, quia est risibile, est homo.

Haec enim simplex conversio non complexionaliter ubique tenetur, sed hic tantum<sup>23</sup> propter terminorum paritatem conceditur. [] Itaque lege terminorum supradictae favent / argumentationi (1-4). Nam, si concedatur quaelibet species ex suo genere praedi/[di]cari universaliter, non habent pro inconvenienti si ex hoc / malo malum illud procedat, ut una dividens di/videntem suam inferat. Sed, si dividens<sup>24</sup> quae antecedit vera esset, pro inconvenienti reputari deberet, / si suam dividentem veram inferret.

(III) ¶ Huic etiam argumentationi par/vi medii dissimilitudinem inferunt, per quam conclusionem im/pediri dicunt. [] Cuius medii terminorum notitia talis est

---

<sup>22</sup> aliq(ui)d] addidit s.l. et repetiit i.m. dextr. O

<sup>23</sup> tantum] t(ame)n O

<sup>24</sup> dividens] diuedens a.c. O

(iii) si / omnis homo est lapis, quidam lapis est lapis.  
Quod solet probari, sic. /

( $\alpha$ ) Si omnis homo est lapis,  
omne non lapis est non homo,  
et sic ( $\beta$ 2) omnis homo est lapis. /  
Item ( $\gamma$ ) si ( $\gamma$ 1) omnis homo est lapis,  
( $\gamma$ 2) quidam lapis est homo.

Et, si verae sunt / istae duae  
( $\gamma$ 2) quidam lapis est homo  
et ( $\beta$ 2) omnis homo est lapis,  
vera / est ( $\delta$ ) quidam lapis est lapis.

A praedicato. Regula: SI QUID PRAEDICATUR DE / ALIQUO PARTICULARITER, ALIUD +PRAEDICATUM DE+ PRAEDICATO UNIVERSALITER, ILLUD IDEM PRAEDICATUR DE SUBIECTO / PRIORIS PRAEDICATI PARTICULARITER.

Hanc igitur conclusionem tali dicunt in/fringi dissimilitudine, qua dicitant in priori / argumentatione illas duas propositiones, id est

( $\gamma$ 2) quidam lapis est homo  
et ( $\beta$ 2) omnis homo est / lapis,  
ad illam quae est

( $\delta$ ) quidam<sup>25</sup> lapis est lapis,  
ut duas consequi, et illas / easdem confirmant in sequenti consequentia ut unum antecedere. /

Quod qualiter unum sit, videat qui potest, quia ego nequeo videre. Non / enim, puto, eos velle quod coniunctio interposita de duabus unam / faciat, cum Boethius <sup>$\alpha$</sup>  istam ‘Iupiter tonat’ et ‘Iuno ninguit’ / multiplicem, id est non unam sed multas propositiones, esse dicat. Per quod / plane velle videtur quod per interpositam coniunctionem duae / propositiones in unam non redigantur. Si enim idcirco +illas+ ibi dicunt ut / duo consequi, hic autem velut unum antecedere, quia ibi cum duabus, / hic autem una enuntiantur prolatione, nos e converso hic / cum duabus quidem prolationibus<sup>26</sup>, ibi vero una eas prolatione / proferamus, ut propter eandem causam, hic tanquam unum an<te>/cedere, ibi quasi duo consequi

---

<sup>25</sup> quidam lapis] o(mn)is h(omo) O

<sup>$\alpha$</sup>  Cf. inH2 5, p. 109.22-28: Alia vero est composita vel ex terminis vel ex propositionibus coniunctione copulatis multiplex et multa significans. ... ex propositionibus autem coniuncta multa significans est, ut si quis dicat et ‘Apollo vates est’ et ‘Iuppiter tonat’.

<sup>26</sup> prolationibus + [--] O

convincamus.

(IV) ¶ In consimili etiam / argumentatione, qua tale probatur inconueniens

(iv) si Socrates est Plato, Socrates / est non Plato, per dissimilitudinem dicunt impediri conclusionem. /

Quae argumentatio talis est.

( $\alpha$ ) Si Socrates est Plato,

Plato est Socrates et Socrates est / Plato.

Ab eodem et a pari per simplicem conversionem.

( $\beta$ ) Et, si / Plato est Socrates et Socrates est Plato, Plato est Plato.

A praedic(a)to. / Regula quae superius, haec videlicet: SI QUID PRAEDICATUR DE ALIQUO SINGULARITER, / ET ALIUD PRAEDICETUR DE PRAEDICATO SINGULARITER, ILLUD IDEM PRAEDICATUR DE / SUBIECTO PRIORIS PRAEDICATI SINGULARITER.

( $\gamma$ ) Et, si Plato est Plato, / Plato est non Socrates.

( $\delta$ ) Et, si Plato est non Socrates, Socrates est non Plato.

A pari / per simplicem conversionem. Omnis enim singularis talis, scilicet ex finito / subiecto et infinito praedicato, convertitur sic, ut scilicet de infinito / fiat finitum et de finito infinitum.

Itaque (iv) si Socrates est Plato, / Socrates est non Plato.

Huic autem argumentationi per dissimilitudinem contradicunt, / quoniam in hac consequentia

( $\alpha$ ) si ( $\alpha$ 1) Socrates est Plato,

( $\alpha$ 2) Plato est Socrates et ( $\alpha$ 3) Socrates est Plato,

hanc conversam

( $\alpha$ 2) Plato est Socrates

in vi particularis accipiunt, cuius / rectam praecedentem, id est

( $\alpha$ 1) Socrates est Plato

in vi universalis accipi a/struunt. Haec igitur, scilicet

( $\alpha$ 1) Socrates est Plato,

quae pro universali secundum eos re/putatur, ad modum particularis<sup>27</sup>, ut ipsi innuant, convertitur<sup>28</sup>. Et id/circo putant quod ei conversa ( $\alpha$ 2) in vi particularis accipiatur. / Universalis namque affirmativa, quae sibi ipsi non convertitur, particulari / affirmativae per accidens +convertitur+. Et, cum praedicta conversa singularis in priori consequentia / in vi particularis

---

<sup>27</sup> particularis] v(niversalis) O

<sup>28</sup> convertitur] c(um) utit(ur) O

ut ipsi aestimant consequitur, in sequenti consequentia, / quae est  
( $\beta$ ) si ( $\beta$ 1) Plato est Socrates et ( $\beta$ 2) Socrates est Plato,  
( $\beta$ 3) Plato est Plato,

haec eadem / singularis, scilicet

( $\beta$ 1) Plato est Socrates,

`in` vi universalis secundum eos dicitur, quia **l293a**

( $\beta$ 3) Plato est Plato,

quae et ipsa quoque pro universali, sicut aiunt, hic re/putatur; ex illis  
duabus ( $\alpha$ ,  $\beta$ ) non posset +consequi+ singularibus, nisi utraque / singularis  
pro universali acciperetur.

Quae *sophisma*<sup>29</sup>, sicut et / supradicta, nulla auctoritate vel  
ratione fulciuntur. /

(V) ¶ In hac quoque argumentatione, per quam tale probatur  
inconveniens

(v) si omnis homo est homo,  
quidam homo non est Socrates,

per dissimilitudinem impediri / conclusionem causantur.

Quae argumentatio talis est.

( $\alpha$ ) Si omnis homo / est homo, Plato est homo,  
( $\beta$ ) et, si Plato est homo, quidam homo est Plato, /  
( $\gamma$ ) et, si quidam homo <est> Plato,  
quidam homo non est Socrates.

Itaque (v) si omnis homo est homo<sup>30</sup>, /  
quidam homo non est Socrates.

Istud autem ex interposita `dis`similitudine, / sicut dictum est,  
negant ad ea quae praemissa sunt congruere. In / priori enim  
consequentia, quae est

( $\alpha$ ) si omnis homo est homo, Plato +est homo+,  
quae dicunt illud / consequens ex illo sequi antecedenti in vi subiecti. In  
hac autem /

( $\beta$ ) si Plato est homo, quidam homo +est Plato+  
ex vi utriusque, quia utrumque permu/tatur. In hac autem ultima  
consequentia, quae est

( $\gamma$ ) si quidam homo `est` Plato,  
quidam / homo non est Socrates,  
+ex vi praedicati+, cum praedicatum varietur. Cumque vis

---

<sup>29</sup> sophisma] so()ma O

<sup>30</sup> homo] pla(to) O

argumentationis ita / varietur, per talem dissimilitudinem secundum eorum translationem<sup>31</sup> / extremorum impediri conclusio reputatur.

Sed simili<sup>32</sup> modo / possent multis veris argumentationibus contradicere, quibus nul/la discretorum audet opinio resistere, quemadmodum / huic

(1) si Plato est homo, quoddam animal est homo,

(2) et, si quoddam animal est homo, /

quoddam animal est corpus.

Itaque (3) si Plato est homo, quoddam animal est corpus. /

Cum itaque haec argumentatio partim a subiecto (1), partim a praedicato

(2) probetur, / nullus tamen sane intelligens huic argumentationi refragatur.

/

(VI) Huius etiam *sophismatis* conclusionem volunt impedire dis/similitudine, qua solemus

(vi) si albedo est, nigredo / est

probare.

Quae est huiusmodi.

( $\alpha$ ) Si albedo est, contrari/um nigredinis est,

( $\beta$ ) et, si contrarium nigredinis est,

tunc nigre/do est contraria,

( $\gamma$ ) et, si nigredo est contraria, `nigredo est´.

Itaque (vi) si albedo est, nigredo est.

Huic argumentationi tali contradicunt dis/similitudine, quoniam hanc consequentiam

( $\alpha$ ) si albedo est, contrarium / nigredinis est

non absolutam necessitatem sed determinatam / dicunt habere. Nisi enim *albedinem* contra/riam esse *nigredini* constaret, nullo modo sequeretur quod ad po/sitio+nem+ *albedinis* contrarium *nigredinis* esset. Hanc autem / quae est

( $\beta+\gamma$ ) si contrarium nigredinis est, nigredo est

falsam arbitrantur, / quia bene intelligentibus falsa esse non dubitatur.

(VII) Nec / minus praedicti<sup>33</sup> trutinatores hanc argumentationem impedire / conantur dissimilitudine, qua

(vii) si omne ens est domus, / nullum ens est domus

---

<sup>31</sup> translationem] *lectio incerta*, truflatio(n)e(m) ut videtur O

<sup>32</sup> simili modo] similitudo

<sup>33</sup> praedicti] p(rae)dicit O

solemus probare.

Quae est talis.

( $\alpha$ ) Si / omne ens est domus, nullum ens est paries,  
et sic ( $\beta$ 2) nul/lus paries est ens,  
et ita ( $\gamma$ 2) nullus paries est;  
( $\delta$ ) et, si nullus / paries est, nulla domus est,  
et si c' ( $\epsilon$ 2) nulla domus est ens; /  
( $\zeta$ ) et, si nulla domus est ens, nullum ens est domus.  
Itaque / ( $\nu$ ) si omne ens est domus, nullum ens est domus.

Huic quoque / argumentationi hac obsistunt dissimilitudine, quia cohae/rentiam et discohaerentiam in hac dicunt esse. In hac / enim consequentia

( $\alpha$ ) si omne ens est domus, nullum ens est pa/ries  
'domus' et 'paries' discohaerenter tractantur, / quia ad positionem *domus paries* velit (eius oppo/situm) removetur. In hac autem consequentia  
( $\delta$ ) si nullus pari/es est, nulla domus est  
eadem cohaerenter ponuntur, quia<sup>34</sup> / destructo *pariete* (parte<sup>35</sup> integrali), totum / illius, id est +*domus*+, destruitur.

Sed, hoc dicendo, Boethio videntur con/tradicere, qui syllogismos per impossibilitatem resolvendo cohae/renter et discohaerenter non dubitatur hoc facere.

Tali/bus dissimilitudinibus conantur praedictarum argumentationum / conclusionem impedire. Sed, relictis huiusmodi nugis, ostenda/mus, ut promisimus, causas quibus eisdem sophismatibus ratio/nabilius possimus obsistere.

(I) Primum itaque huic so/phismatis cursui  
si nulla res est, nox<sup>36</sup> non est,  
etc /

tali ratione contradicimus, quia hanc consequentiam

( $\beta$ ) si nox +non est+, dies est  
non recipimus. Nusquam enim ex negatione affirmationem consequi concedi/mus. Multa namque exinde inconvenientia procedere non dubitamus. **1293b1**

(II) Rursus huic argumentationi, qua probatur  
(ii) si omne / animal est homo,

---

<sup>34</sup> quia / + [---] O

<sup>35</sup> parte + [---] O

<sup>36</sup> nox] nux a.c. O

quoddam animal non est homo,  
sic obviamus, quia / consequentiam istam  
( $\alpha$ ) si omne animal est homo, omnis asinus est / homo  
denegamus; et omnes huiusmodi consequentias, in quibus / est locus a toto  
ex parte subiecti, respuimus, / quoniam ex talibus consequentiis multa  
inconvenientia / provenire cognoscimus.

(III) Hanc etiam argumentationem, per quam /  
(iii) si omnis homo est lapis, quidam lapis est lapis  
<probat>, sic possumus denegare, ut dicamus ex his duabus /  
propositionibus

( $\gamma$ 2) quidam lapis est homo  
et ( $\beta$ 2) omnis<sup>37</sup> homo est lapis, /  
haec consequens

( $\delta$ ) quidam lapis est lapis  
non procedere. /

Quodsi quis ad hoc probandum illam <regulam> quam  
praemisimus / a praedicato velit afferre, r(espondemus) neque per  
r(egulam) / aliquam consequentiam verificari concedimus, neque ex  
consequentia regulam. Si enim quia vera est r(egula) vera est  
consequentia, / et quia non est vera consequentia nec vera est r(egula).  
Quod falsum est. / Potest namque vera esse regula, nec tamen vera erit  
consequentia, / quia nec erit consequentia nisi sit qui eam proferat.  
Si/militer quoque vera potest esse consequentia, nec tamen ideo / vera erit  
regula, cunctis tacentibus, quia / nec etiam erit. Regula enim et  
consequentia diversi sunt / aeres <sup>$\alpha$</sup>  nulla habitudine se exigentes. /

(IV) In illa quoque argumentatione, qua  
(iv) si Socrates est Plato, Socrates non est / Plato  
probamus, illi consequentiae, quae est

( $\beta$ ) si<sup>38</sup> Plato / est Socrates et Socrates est Plato,  
Plato est Plato,  
supradicta ratione contradicimus, cui locum a praedicato / ascripsimus  
et eidem consequentiae regulam praedictam / deservire dicebamus.

(V) Necnon et in ista / argumentatione, qua  
(v) si omnis homo est homo,  
quidam homo non est Socrates,  
probat, ratione praemissa illi consequentiae

---

<sup>37</sup> omnis + [lapis est] *O*

<sup>$\alpha$</sup>  aeres, NB the *vox-in-substantia* theory

<sup>38</sup> Si + [Socrates est] *O*

( $\alpha$ ) si omnis [est] / homo est homo, Plato est homo, resistitur, per quam superius / locum a toto universali ex parte subiecti non concedebatur.

(VI) Hanc etiam argumentationem, qua

(vi) si albedo est, nigredo est +probatur+, / totam respuimus. Omnes enim interpositas consequentias / falsas esse censemus, et hanc scilicet

( $\alpha$ ) si albedo est, +contrarium+ / nigredinis est, et istam etiam ( $\beta+\gamma$ ) si contrarium nigredinis / est, nigredo est.

Si requiramus cur eas iudicemus / falsas esse, falsas esse idcirco respondemus / quoniam ex earum inconueniens videmus nasci / concessione.

(VII) In illa quoque argumentatione, qua

(vii) si omne / ens est domus, nullum ens est domus +probamus+, illam refu/tamus consequentiam

( $\delta$ ) si nullus paries est, nulla / domus est.

Si enim tota integralia remo/veri concederemus ad cuiuslibet suarum remotionem / partium, nulla possemus evitare caute/la quin ex huiusmodi procedet concessione / periculum.

End